DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VENTRICULI FABRICA VITIATA.

10

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VENTRICULI FABRICA VITIATA:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS RONALDS,

Anglus,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS EXTRAORDINARIUS,

VIII. Calend. Jul. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXIV.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

AMICO OPTIMO,

PATRI SUO CARISSIMO,

HUGONI RONALDS,

HOC OPUSCULUM,

SUMMA PIETATE,

CONSECRAT

FILIUS.

" Oportet itaque, ubi aliquid non respondet non tanti
" putare auctorem, quanti ægrum, et experiri aliud atque
" aliud; sic tamen ut in acutis morbis cito mutetur quod
" nihil prodest; in longis quos tempus, ut facit, sic etiam
" solvit, non statim condemnetur, si quid non statim pro-
" fuit; minùs vero removeatur, si quid paulum saltem
" juvat; quia profectus tempore expletur."—CELSUS,
Lib. 3. Cap. 1.

DISSERTATIO MEDICA

10

DE

VENTRICULI FABRICA VITIATA.

PARTES omnes ad concoctionem alimentorum attinentes, fabricæ ita multiplicis sunt, ut earum vitia inter se similitudinem magnam habeant. Idem non solum dici potest de his muneribus, sed quoque de vesicâ, et profecto visceribus omnibus membranâ mucosâ involutis. Nihilominus quodque viscus propter ejus officium in vivo corpore, præbet proprietates quasdem, de quibus amplissimè disserere licet; et statui disputare, ut possum, de iis

fabricæ interioris vitiis, quibus ventriculus præcipuè patet.

Ex muneribus miris, quibus machinâ humanâ fungitur, certè, functio ventriculi locum gravissimum sibi vindicat; ne dicamus primum? Hoc viscus inter morbos plurimos et diversissimos quibus naturâ opportuni sumus, quasi præsidium est totius corporis et particeps fit corporis malorum haud aliter atque mens alienis malis afficitur. De naturâ consensûs hujus, rationes solum inanes fictæ fuerunt. Adhuc latet, sacro obtecta involucro.

Præter affectus eos ventriculi, qui adoriri possunt ob vitia partium diversarum corporis, ipse objicitur morbis ordini *Neuroses* subjectis, qui sæpe urgent, nullo vitio functionum alienarum comitante, etiamque ipsius fabricâ non læsâ. De his morbis scripta medicorum celeberrimorum satis in medio sunt, quapropter de iis vitiis solis dicam, quæ plerumque in-

flammationi superveniunt. Morbos hos, nempè fabricâ vitiatâ exortos rarius accidere quam alios, fatendum est.

Homines vitæ temperatæ, et quotidie se exercere sub dio soliti, ferè prorsus iis immunes sunt; contrà verùm, ii qui ex primâ ætate se luxui, vino et gulæ dederint, et præcipuè in cœlo calido;—ii qui artibus et negotiis occupati sunt, quibus mos sedentarius unà cum positu corporis quo abdomen et pectus assidue opprimuntur, quorum exempla sunt textores, pileorum artifices, scribæ;—his hominibus plerumque, exceptis paucis, viscerum morbi *organici* contingunt.

Indagandi vitia quædam ventriculi, dubitari non potest, quin difficultas maxima exstat; quoniam perscrutamur morbos quibus viscera alia præter ventriculum quoque afficiuntur: et hæc ob situm ferè similem, sæpius præbent signa persimilia. Cujus rei exempla sunt quædam jecinoris mala; e. g.

lobulus minor visceris hujus *Pyloro* incumbit, et minimè rarò afficitur schirrho ; cum hoc affectu, simul dolor crebrò percipitur circa hanc partem propter ejusdem inflammationem, vel ob calculos bilis hùc latos ; alvus pertinax ; facies pallida talem morbum comitantur. Contrà in morbo schirrho pylori appellato de quo disputandum est, præter duritiem percipiendam in regione ventriculi, indicia persimilia his dicendis sæpè oriuntur, ideoque hæc mala invicem discernere, saltem res perdifficilis fit ; reverà eadem difficultas dignoscendi affectiones quasdem pancreatis et intestini coli inter se subsistere potest.

Plurima mala ventriculi inflammationem sequuntur, et mihi in animo est pauca conscribere de Gastritide, necnon de ejus curatione, prius quam dissero de ejus finibus, qui ità constituant partem posteriorem opusculi hujus. Exitus inflammationis his, non semper

idem est qui aliis partibus corporis ; schirrus et carcinoma aliquando accedunt ; et hunc morbum dirum præcipue membranis mucosis insidere, verisimile est. Reverà tumores et affectus alii modò subeunt, quæ non omninò quidem videantur oriri ex inflammatione.—Rem propositam nunc aggredior.

DE FABRICA VENTRICULI.

Ventriculus situm habet in regione epigastrica sub margine septi transversi ; pertinet aliquatènus ad hypochondrium dextrum. Lobulus minor jecoris ponitur inter extremitatem dextram et septum transversum. Orificia duo sunt ; superius appellatum est cardia, quâ gula cum ventriculo committitur, et inferius vocatur pylorus, unde intestinum oritur. Inter hæc orificia describitur arcus minor ; et arcus major linea externa est quæ

porrigitur extrinsecùs ab extremitate sinistrâ, vel ab cavitate magnâ ventriculi ad pylori finem.

Tunicæ ventriculi divisæ fuerunt ad fabricam minutissimam à variis anatomicis; distributio in membranas quatuor mihi videtur naturæ consilio convenire. Tunica extima formatur ex peritoneo, membranâ serosâ communi visceribus omnibus abdominis. Huic accedunt tunica musculosa, et tunica cellulosa; denuò membrana villosa vel mucosa, quæ ex membranâ *gulæ* producitur.

Arteriæ plurimæ distribuuntur super ventriculum; quarum cœliaca origo est. Coronaria superior; pylorica superior; et gastro-epiplöica præcipuæ sunt. Varietas non rarò observatur in vasorum horum distributione.

Nervi nominati par vagum et sympatheticus ventriculum instruunt surculis numerosis.

DE GASTRITIDE.

Utraque species inflammationis, scilicet phlegmon et erythema, oriri assuescunt in ventriculo. Prior longè violentior est, sed minimè tam frequens quàm altera. Cum ita se res habet, species phlegmonoidea ob ejus severitatem graviorem, tractari debet studio majore, et nunc procedo ad morbi definitionem et historiam. Cl. Cullen eum definivit summâ accuratione.

" Pyrexia Typhodes; anxietas; in epigastrio dolor et ardor ingestis quislibet auctus; vomendi cupiditas et ingesta protinus rejecta, singultus."

Hæc signa concinnè morbum notant. Febris Typhodes per progressum ferè comitatur; modò paroxysmus hujus febris discretus,

ægrum invadit et signum primum fit; modò non subit donec signa alia videantur.

Notæ *gastritiden* certissimè indicantes sunt, ardor et dolor urens in aliquâ parte regionis epigastrii, et valde auctus post assumptum alimentum; aliquandò cibus etiam generis blandissimi minime assumi potest sine accessione doloris ingentis vel paroxysmo sævo vomendi. Dolor ab ægro non solum ad situm exactum ventriculi relatus est, sed modò partibus vicinis provenit; interdum dolor extenditur ad latera etiamque prope dorsum. Singultus et vomendi cupiditas valde urgent de tempore ad tempus per diem, et propter nisus strenuos dolor magnoperè augetur. Pressura minima, nimirum stragularum miseriam multam excitat. Pulsus semper parvus, celerrimus, et plerumque aliquantulò durior est; rarò in hoc morbo percipitur pulsus fortis vel plenus. His, signa multa alia febris typhodis sese ostendunt. Sitis molesta ægrum vexat, et ubi

conatur bibere etiam fluida blandissima, extemplò ea evomit. Debilitas maxima adest, et interdum usque ad deliquium animi. In hoc morbo syncope sæpius accedit quam in phlegmasiis aliis ; nec mirum, cum ventriculus non potest alimentum recipere ; adde effectus febris semper maximâ debilitate comitantis. Vertigo et delirium sæpe occurrunt, et indicant magnum gradum infirmitatis. Spirandi difficultas interdum ægrum angit ; hanc affectionem oriri ab inflammatione pertinente ad peritonæum quod septum transversum obtegit, verisimile est. Anxietas circa præcordia quæ obvenit in nonnullis exemplis molestissima est ægro ; hoc signum provenire videtur ab copiâ minore sanguinis transeuntis per pulmones, ob difficultatem expertam in respiratione plenâ.

Ubi repugnans remedia omnia morbus pertinaciter restet, spes curationis quotidie minor devenit ; nunc plerumque signa febris hec-

ticæ adesse incipiunt, quæ cum dolore levato, vel sensu quadam ponderis signa vera sunt suppurationis vel apostematis ; hujus apostematis irrumpendi in cavitatem ventriculi, fors est ; cum ità res habet, pus respuatur per os et signa mala diffugiunt. Sin prosiliat externè, scilicet, in cavum abdominis, certa mors brevi sequitur. Gangræna proxima formido est, quæ minimè rarò subit. Remissio doloris subita ; pulsus debilissimus ; artus frigidi ; sudor gelidus circa humeros et pectus manans ; facies cadaverosa ;—hæc gangrænam proclamant, et brevi e medio fertur æger miserrimus.

Diagnosis.—Hoc morbo Diagnosis non perdifficile est ubi indicia bene notantur : In quibusdam exemplis tametsi Enteritis præbet symptomata ferè similia ; plerumque discriminatur gastritis propter dolorem ardentem post assumptionem victûs, ob singultum et vomendi cupiditatem frequentissimam. Dig-

noscitur facile morbus a ventriculi spasmo et a colicâ ; in iis morbis pulsus plerumque naturalis est ;—pressura solatium potius præbebit ægro quam dolorem augebit ;—dolor mitigatur, ubi musculos abdominales tendit ; quod dolorem maximum fert in ventriculi inflammatione. Morbis ventriculi ex spasmo orientibus debilitas raró evenit, quæ semper præstat in Gastritide. In colica alvus adstrictior est quam in altero morbo ; et in ventriculi omnibus spasmis dolor non semper adest sed renovatur subinde, et æger bene se valet aliis temporibus.

Prognosis ex more variat pro gradu morbi. Ad initium ferè semper sanari potest ; quod si restavit aliquid tempus sine remediis solitis, vis medicaminum iners plerumque fit.

Indicia infausta sunt exacerbatio febris nocti ; pulsus debilissimus eveniens ;—sudor gelidus in humeros manans, dum pedes semper frigidi sunt—remissio subita doloris.

Si signa hæc evidentia fuissent, gangræna subit et vita nunc brevi extinguitur. Sin febris hectica in limine tantum sit; si dolor non prorsus evanescat, sed gravis remaneat, aut potius sensus existat ponderis in ventriculo; concludere licet abscessus formari inter ejus tunicas, ne certè lethalis erit morbus ut suprà jàm dixi.

Quandò contrà æger propter sublevationem sub initio mali adhibitam, potest permittere victum alicujus generis subsistere in ventriculo sine dolore; alvi fluxu adveniente; pulsu post dies tres vel quatuor validiore subeunte; singultû mitiore facto; hæc indicia resolutionem inflammationis monstrant, et spem curationis brevi.

Causæ.—Mihi videtur nullum discrimen interesse in ratione medendi huic morbo, pròut speciem phlegmonoideam vel erysipelatosam sibi induat; igitur enumerabo promiscue causas excitantes. Venena assump-

ta producunt effectus primos excitando inflammationem; præcipua et virulentissima sunt quidam sales chemici, e. g. murias hydrargyri; arsenici oxydum vel sulphuretum; præparata ex cupro. Alcohol ferè in statû puro assumptum excitavit sæpè inflammationem, et copiâ larga instantem mortem tulit; sed quando vita statim extinguitur ex haustû pleno alcoholis, inflammationem non habet satis temporis excitare, et mortis reddenda est ratio ex maximo et subito stimulo ad *organon* tam exquisitè sensu præditum ut ventriculus. Effectus materiarum aliarum fortiter stimulantium expositi sunt eodem modo. Succi expressi plantarum acrium quarundem sæpe morbum inducunt. Plenitudo subita stomachi aquâ frigidâ dum corpus calidum est interdum instantem mortem inducet, sed crebrior erit causa inflammationis gravis. Gastritis aliquando fert ex partium vicinarum inflammatione; scilicet e pulmonibus, hepate,

intestinis, etiamque septo transverso. Dicitur plurimis scriptoribus inflammatio ventriculi oriri ex suppressione morborum nonnullorum ordinis phlegmasiæ necnon exanthemata; non possumus talem causam negare. In quibusdam exemplis suppressionis subitæ eruptionis in variolâ et morbillis, inflammatio translata fuit ad ventriculum. Eadem animadversio ad podagræ suppressionem applicat. Exemplum unum quod exstat in Pinel clarè indicans hanc translationem citabam. "Une * femme agéé de soixante deux ans "avoit eu plusieurs attaques de goutte;—de-"puis quelques jours douleurs lancinantes, "rougeur, gonflement du pied gauche;—em-"portement de colerè; disparition subite des "symptomes goutteux; deux heures aprés, "Cardialgie, douleur gravative de l'estomac; "sentiment de constriction dans la region epi-

* Pinel Medicine Clinique, p. 136.

" gastrique, oppression augmentéé par la plus " petite quantité de boisson. Les jours sui- " vantes accroissement des symptomes." Post dies paucas mortua est, et sectio corporis facta erat; " tunique peritoneale de tout le conduit " alimentaire phlogoséé. L'estomac presen- " toit un retrecissement trés marqué; la mem- " brane muqueuse de ce viscere etoit epais- " séé, rougeatre, silonnéé; enduite d'une ma- " tiere visqueuse, noirâtre."

Hæc translatio cui nomen est metastasis, confirmata est observatione puris transeuntis ex abscessu in parte alia ad corporis partem aliam distantem. Non videtur ullum medium præter telam Cellulosam per quod inflammatio communicata sit; pariter pus et materias alias fluidas convehi eâdem migratione, verisimile est.

Notæ validæ gastritidis sese ostendunt per durationem febrium quarundam, præsertim

earum quibus proclivitas est magna ad putridinem.

Uti in phlegmasiis, vis mechanica externè applicata potest ventriculum inflammare.

Causæ residuæ ad morbum proclivitatem facientes sunt victus plenissimus; usus emeticorum et purgantium acrium, ut hi stimuli sufficient morbum inducere, satis in aprico est. Animi motus turbati et præsertim ira sæpe gignunt effectus miros in sanguinis circuitu; non raró inflammatio topica effectus est talis stimuli, et interdum ventriculi. Ira dicitur efficere secretionem majorem bilis. An copia aucta in ventriculo bilis potest aliquid efficere ad morbum inducendum, anceps hæreo.

De eâ specie morbi quam Celeb. Cullen distinguit nomine 'Erysipelatosa' necesse est pauca dicere. Hæc species frequentior accidit quam ea jamjam prolata. Plerumque morbus est mitis et sæpe nulla indicia reddit

poscentia attentionem medici. Aliquandò tametsi ob existentiam pyrexiæ, ratio aliqua medendi exquisita est. Ubi ventriculus vexatus est sensu ardoris et vomendi cupiditate, atque eodem tempore apthæ se ostendunt in ore et faucibus, hanc affectionem adesse, verisimile est.

Secundum methodum mihi propositum terminationes morbi in schirrum; necnon de variis læsionibus aliis disputare conabar post curationem, et nunc ad rationem medendi in gastritide pergo.

Curatio.—In omnibus phlegmasiis regimen antiphlogisticum servandum est, et precipuè in hoc morbo, qui habet situm in organo, forsàn naturâ exposito plus quàm alia pars corporis, stimulis diversissimis.

Venæ sectio remedium princeps est ubi signa morbi sese ostendunt acuta. Indicia maximæ debilitatis quæ plerumque adsunt non

inhiberent usum scalpelli; æger * dum erat in statu animi deliquii, multum beneficium agnovit per ejus usum; venæ sectio e brachio semper habenda est, et detractiones largæ communè repetantur cum intervallis brevibus. Pulsus sæpiùs fit plenior ex sanguinis detractionibus; ubi hoc percipitur, res fausta habenda est, et perseverare in tali ratione nos excitare debet. Usus scalpelli plenus ferè magna ratio est ad morbum præcavendum, quando dispositio evidens sit.

Detractio sanguinis ope hirudinum adhibenda est. Mihi videtur missio per cucurbitulas cum ferro non ita idonea, quoniam in earum applicatione necesse est uti vi mechanica multa, quod fortuitò irritare potest.

Epispastica remedia sunt proxima ad sanguinis missionem; sunt maximè remedia utilia ubi singultus valde urgeat; hoc symptoma

* Prælect. Gregor.

sæpe tollitur epispastici applicatione. Vomitus pertinax ventriculi conditionem irritatam exhibens ferè mitior factus est per hæc remedia. Indicia hæc interdum sese ostendunt quasi principia, in tali re epispastica plus idonea sunt quam est sanguinis missio.

Semicupium frequenter in promptu habetur; hoc remedium determinationem facit ad partes inferiores corporis; et perspirationem ad cutem evocat quæ ob connexum inter stomachum, et cutem res semper erit momenti.

Frequentissime propter irritabilitatem magnam ventriculi, medicamenta vel dieta etiam generis blandissimi in eo non possunt retineri; tametsi diluentia mitissima tentari debent, quantitate perexiguâ; præsertim ubi morbus inductus fuisset ab materiis acribus. Species variæ diluentium adhiberi possunt, quarum infusum Lini, Jusculum bovinum tenue, liquores mucilaginosi optimi sunt. Quoniam ferè conatus omnes remedia administrare per

os frustra erint, confidendum est enematis, et hæc applicari possunt simul ac nutrire corpus et vim inflammationis sedare; semper enemata emollientia debent esse; per hæc opium interdum datum est, præsertim cum irritatio corporis valdè urgeat. Opium per os quamvis ventriculus possit id retinere, admissionem non obtineat principio morbi; sed cum symptomata inflammationis mitescere inceperint, administratio opii sub formâ pilulæ præscribenda est, et ejus affectus fausti sæpe sunt.

Emetica tantum adhibentur ubi venena recepta fuerunt; hæc tali eventu primum remedium esse debent et vomitus excitandus est donec ingesta omnia expulsa fuerunt.

Cathartica ob constipationem tenacem quæ ferè comitatur indicari videantur; minimè autem purgantia acriora dantur, rationibus obviis; plerumque cathartica enematibus adhibita, sufficiunt.

Ubi æger convalescere cæpit, attentio multa requiritur, et præcipuè diæta considerationem poscit. Res omnes stimulantes, uti vina meraciora, dapes valentes, pessimæ sunt. Potus ex acidis vegetabilibus consistere debent; et victus omnino mitissimus foret. Post aliquid tempus cibus animalium dari potest, sed quantitate perexiguâ. Sub finem, regimen antiphlogisticum perpetuò servandum est, et maxima attentio requiretur prohibere morbi recursum.

Nunc progredior disputare de fabricâ vitiatâ ventriculi, quæ aliquando subit scalpellum anatomici. Ferè pròrsus coactus sum dare conditionem stomachi uti videtur in cadaverum sectione, sine ulla ratione medendi quoniam plerumque ignoramus remedia apta.

DE SCHIRRO VENTRICULI.

Hæc structura morbida sæpe occurrit, et præsertim in iis qui vitam dissipatam transiverunt. Obvenit in formis diversissimis, ex spissitudine minima, ad tunicarum tumores duros, et ad molem maximam ferè implicatam partes omnes, etiamque vicinas in magna obscuritate. Hoc vitium plerumque videtur versus extremitatem parvam ventriculi frequentius quam in partibus aliis. Tumor schirrosus modò evenit pròpe ventriculi orificium cardiacum, in substantia durus et ferè cartilaginosus. Tumores schirrosi in aliis partibus ventriculi occurrere possunt nullam perturbationem facientes, sed certe rari sunt. Spissitudo generalis in tunicis ventriculi haud

rara est ; ad hanc spissitudinem omnes partes ventriculi æqualiter videntur obnoxiæ ; in tali re spissitudo procedit modò ut molem maximam attineret ; interdum hac ratione trudit ventriculum omninò ex situ naturali, et cavitas perexigua ventriculi linquitur. Monro Professor mensuravit ventriculum cum hac affectione, et expletus est unciis quatuor aquæ.* In quibusdam exemplis tota cavitas interna corripitur hac induratione et spissitudine, et interdum his læsionibus carcinoma faciens ventriculum totum ulceratum accedit, sed hoc rarissime occurrit ; unicum exemplum carcinomatis totius stomachi quod mihi obvenit legenti scriptores optimos, exstat in libro utilissimo Doct. Baillie. Tametsi carcinoma ut exitus duritiei vel spissitudinis alicujus non infrequentèr in cadaverum sectione subit.

---

* Vide Monro's Anatomy of the Gullet, &c.

Pylorus veruntamen præ alia parte ventriculi sese præbet morbosum; strictura pro ratione schirri invadit. Strictura exemplis nonnullis ita insignis est, ut instrumentum ad vulnera exploranda accommodatum, aditum difficilem ducit. Ubi structura morbida scalpello dividitur, invenitur constare partim ex substantiâ carnosâ et cartilagine.

Pylorus schirrosus malum est quod sæpe occurrit: afflictat ægrum signis multis. Dolor urens ferè constans; nausea perpetua; vomendi cupiditas circa horam post cibum sumptum; marcor universalis, et denique febris hectica serius vel ocyus ægrum occidunt: modo carcinoma succedit ad schirrum, sed frequentissime ægrotus delassus est perpessionibus sævis protractis antequam talis affectio tempus habet subire. Carcinoma proditur ubi febris hectica ampla attendit, dolore lancinante deveniente, ubi tumor quæ antè durus erat mollior fit vel pròrsus subsidet; plerum-

que vomitus est materiæ eæ similis coffææ Arabicæ fæcibus.

Amplificatio insignis ventriculi aliquando observatur; et nonne est recenseri ab stricturâ pylori? Casus magnitudinis auctæ datur ex Platero ab Lieutaud. "Quidam juvenis floridæ ætatis sed vitrææ valetudinis summâ pectoris angustiâ, cum ventris inflatione post cænam corripitur, et subitò extinguitur. Cadavero exanimi subjecto, occurrit ventriculus tantæ magnitudinis ut non solùm totum abdomen sed etiam thoracis partem majorem occuparet; diaphragmate in immensum dilatato et repulso. Pulmones reperiuntur putres et partim absumpti. Cor erat contractum; Hepar corruptum et depressum; Lien minimus, et Omentum nullum."*

Species sola Hæmatemesis idiopathica mihi videtur oriri ex fabricâ vitiata ventriculi; in

* Lieutaud Historia Anatomico-Medica, tom. 1. p. 10.

his exemplis pus acris potest erodere tunicas vasorum molis certe non parvæ, et hoc modo ægrum aliquando fert ad conditionem valde debilitatam, aut vita extinguatur. Lieutaud et scriptores alii dicunt hunc morbum sæpe accidisse; et Monro Tertius dat exemplum magnæ copiæ sanguinis ejectæ dum æger laborabat ventriculo schirroso, quod citabam. "A man, fifty-seven years of age, who had "been subject to stomach complaints, fell "down in a state of insensibility. Upon re-"covery he discharged, by vomiting, a quan-"tity of blood, and continued to do so for "some weeks, and also passed some clots of "blood by stool. In about six months the "vomiting returned, and with increased seve-"rity; at last the patient, after having suf-"fered, in the course of one night, six suc-"cessive fainting-fits, followed by vomiting "of blood, expired suddenly. On examining "the body several coagula of blood were

" found within the stomach, and about two " pounds of fluid blood; the orifice or orifices " from which the blood flowed could not be " discovered. An extensive cancerous ulcer " occupied the whole of the left sac of the " stomach." *

Discrepantia adhuc subsistit inter medicos quoad naturam ventriculi schirri. Modificationem scrophulæ esse nonnullis dicitur quoniam ferè subit glandulis confertis circa pylorum; et scrophulam habere situm in glandulis, liquet. Tametsi glandulæ stomachi vel pylori modò afficiuntur schirro, ubi nulla indicia scrophulæ sese præbent in iis partibus corporis quæ frequentissime eo morbo afficiuntur; iterum, functio diversa in corpore peragitur per species has duas glandularum.

---

* Monro's Morbid Anatomy of the Gullet, &c. p. 332.

DE CONDITIONE VENTRICULI IN IIS MORTUIS EX VENENIS.

Phænomena post hydrophobiam.—Hic morbus terribilis habet indicia plerumque referenda ad ventriculum et vias primas; nihilominus notæ in cadaverum sectione læsionis organicæ, minimè clarè observantur; inflammatio videtur esse speciei erysipelatosæ. Pharynx et œsophagus semper participant, et revera canalis alimentarius totus quodammodo afficitur rubore diffuso.

Phænomena ex arsenico et metallis aliis.—Phænomena valde similia sunt post mortem inductam per venena metallica. Arsenicum frequentius assumptum est, et occasiones sæpe sese præbent examinare ventriculum. Tunica tota villosa ruberrimo colore obser-

vata est ; substantia ejus densata est ; modo * laminæ tunicæ internalis abraduntur ; modò maculæ lividæ animadvertuntur ; hæ oriuntur ex sanguinis extravasatione in tela cellulosâ. Tunica interna præsertim juxta ventriculi orificium frequenter obvenit magnoperè inflammata, et habens puncta plurima extravasationis ; hæc tunica aliquandò omninò abraditur vel tam tenuiter adhæret ut facilè digito possit decorticari ; in hac conditione sæpe rubor nullus in stomacho videtur. Effectus arsenici in statu parum oxydationis, plerumque sunt puncta extravasata sanguinis, et sine notis inflammationis multæ.

Rationes plurima constant detegendi præsentiam arsenici in ventriculo, et quoniam ejus detectio interdum sit res momenti magni, dispono rationes optimas. Omnia ingesta

---

* Baillie's Morbid Anatomy.

ventriculi et intestinorum lavari debent aquâ multâ; dein si pulvis albus apparet, subjiciendus est ad pericula sequentia.

1mo. Si pars hujus pulveris cum carbone ligni misceatur, et tubo vitræo obturato induitur, igne admoto, arsenicum splendens formabitur in faciem interiorem tubi.

2do. Si pulvis carbone mistus injiciatur in tabulam ferream calefactam, odor allii emittitur.

3^tio^. Si portio pulveris carbone mista inclusa est inter binas tabulas cupri, et hoc modo in prunas imponitur; post aliquod tempus superficies alba videbitur in tabulas, quod conjunctio est arsenici cum cupro.

4to. Portione pulveris solutâ in carbonatis potassæ solutione, et sulphate cupri adjectâ, arsenis cupri dejicitur coloris viridis.

Ubi *murias hydrargyri* sumptus est, et aliquid materiæ restat; aquâ calcis fundata, per

oxydum hydrargyri coloris flavi cadit ad imum vasis.

Quando suspicamur *acetatem plumbi* sumptum fuisse, proditur additione sulphureti potassæ; tunc pulvis niger, nimirum hydro-sulphuretum plumbi dejicitur, quod non solubile est in acido muriatico diluto.

DE ULCERIBUS ET ADHÆSIONIBUS.

Præter schirrum et carcinoma, ulcera sese prodeunt in ventriculo. Propriè sunt terminationes inflammationis et præcipuè speciei phlegmonodææ. Aliquando apostema totum liberatum est per vomitionem, et in tali re uti jam diximus morbus frequenter finitur curatione. In sectione cadaverum hæc ulcera occurrunt magnitudinibus diversis; sæpe parva sunt et marginibus planis; aliquando sunt molis ma-

joris et effodiunt cavitatem altam in tunicis ventriculi, etiam perforationem per hoc; in tali re alimenta evadunt in abdominis cavitatem et mors ne tarda sequitur; felicitèr, ea terminatio ulceris rara est, sed certè observata fuerit. Modò ulcera se præbent marginibus dentatis et hæc plerumque magna in ambitu et irregularia, in hoc statu raró quæquam tunica præter villosam ulcerata fit.

Adhæsiones ad partes vicinas modò inveniuntur. Aliquando adhæsio extremitatis magnæ ventriculi notanda est ad septi transversi latus sinistrum; cum res ita est, apertura fit per hunc musculum et ingesta transeunt in cavitatem thoracis. Communicatio ob erosionem aliquando fit inter ventriculum et Jecur per quam apostemata Jecoris evacuare possunt pus in ventriculum.

Haud mirandum est ob situm peritonei ut adhæsiones ventriculi eo oriri possunt; talis res confirmata est anatomicis probis. Pars

anterior stomachi observata fuit faciens adhæsionem ad peritonæum, et per id ad musculos abdominales; hac ratione apertura fiat per quam alimenta simul ac materiæ aliæ extrinsecus aditum efficiunt. Ægroti hanc calamitatem diu tulerant, etiam sanati fuerunt, ulcus externum opertum ope pressionis servando, dummodo ingesta ire possunt per viam naturalem.

DE VENTRICULI RUPTURA.

Stomachi ruptura res certè rara est, nihilominus obvenit; plerumque eventus est nisuum strenuorum, mors brevi tale infortunium sequitur. "Nous avons," dicit Portal, "vu un exemple dans un ivrogne qui, aprés une orgie, s'etant laissé tomber sur le ventre, mourut quatres heures aprés. Le Citoyen le Duc, un de mes prêvots, en ayant fait l'ou-

verture, trouva l'estomac dechiré dans sa partie posterieure, prés de sa grande courbure, de maniere qu'il y avoit une ouverture dont le contour etoit bordé de lambeaux inegaux, et par laquelle les alimens s'etoient epanchés dans la cavité abdominale." *

DE VENTRICULO PER SUCCUM GASTRICUM SOLUTO.

Phænomenon hoc confirmatur ex observatione Dom. Hunter; ratio talis rei habendi ne pròrsus in obscuritate restat. Aliquando post mortem extremitas sinistra et magna stomachi observatur tenuior quam sunt aliæ partes, et hæc tenuitas procedere videtur ab copiâ succi gastrici in ea parte restante et eam corrodente; in nonnullis exemplis ero-

* Portal Anatomie Medicale, tom. 5. p. 102.

sio aliquatenùs progressa est ut perforatio facta est per quam ingesta evaserunt in abdominis cavitatem. Ubi talis res observata sit in cadaverum sectione, non attribui debet ad effectus morbi, sed quoniam notatur plerumque post mortem subitam oriri, verisimile est succum gastricum vim corrosivam servare; et, muco ventriculi haud amplius secreto agere in tunicam tenuissimam.

DE SACCULIS.

Ob res inesculentas devoratas, sacculi modò formantur in ventriculo; citabam exemplum ex Baillie; dicit, "I have seen an instance of a pouch being formed in which five halfpence had been lodged. The coats of the stomach were thinner at that part, but were not inflamed or ulcerated. The halfpence had remained there for some considerable time.

forming a pouch by their presence, but had not irritated the stomach in such a manner as to produce inflammation or ulceration.* Effectus mirus aliquando succedit deglutitionem rerum haud esculentium; in scriptoribus honestis legimus epinas, acus, transiisse in partes corporis distantes, scilicet in musculos nuchæ, in calcem, vesicam: viam ullam non possumus credere quà transeant quam per telam cellulosam; hanc scimus sensu minori præditam esse quam pars aliqua corporis.

POLYPI ET HYDATIDES IN VENTRICULO INVENTI.

Occursus tumorum quibus nomina polypi, minime rarus est in iis partibus corporis membranâ mucosâ obtectis; exempli uterus, pha-

* Morbid Anatomy, p. 148.

rynx, nares; tametsi ventriculus non pròrsus ita obnoxius est iis speciebus mali ut sunt viscera alia.—Exemplum morbi hujus exstat in Monro.* Ventriculus post mortem habens polypum adhærentem molis ingentis, observatus erat, traxerat ob pondus ventriculum ex situ ordinario deorsum ad umbilicum. Tumor sese infixit per collum tenue ad tunicam villosam; superficies lævis erat, ubi incisio facta est, dura substantia opposita est, quam sectare per difficile fuit.

Hydatides aliquando observatæ fuerunt; plerumque sedes habent in tela cellulari inter tunicas; modo obveniunt numerosæ et magnitudinis diversæ, adhærentes ad parietes ventriculi; aliquando sunt molis insignis. Portal vidit unum granditatis ovi columbæ; interdum sese ostendunt isolatæ et fluctuantes in cavitate stomachi.

---

* Morbid Anatomy of the Gullet, &c.

VERMES.

Duæ species vermium, nempe Ascarides et Tænia, infuerunt ventriculo humano; aliquando formant quasi nodos plus minusve magnos; interdum se alligant per os ad tunicam internam, quæ hac irritatione obvenit statu gangrænæ. Vidi exemplum vermium speciei tæniæ per hyemam 1812, in conclavi clinico nosocomii nostri, quod cito ex commentariis meis.

Mulier nomine S. M'Laren ætatis 47, affecta erat dolore ventriculi et lateris sinistri; vertigine ferè constante; Pulsus 72, debilis, respiratio brevis; tussis molesta, præsertim sub noctem et manè. Cupiditas cibi valde deteriorata, sitis aliqua; bene dormit, nausea et vomitus materiæ viridis plerumque manè; catamenia non apparuerunt per menses sex.

Dixit ut circa annos duos abhinc, et menses novem post reditum ab India occidentali correpta erat dolore ventriculi acuto, nausea et vomitu præsertim post cibum sumptum: putavit brevem intermissionem accedere propter usum infusi Taraxaci Leontodon. In transitum ab India occ. dimisit per os binos vermes magnos. Circa menses sex ante tempus præsens dum factum est iter in curru, exoneravit vermem prioribus majorem, et nullum reditum doloris per menses tres habet. Dum restat in nosocomio Ascarides sæpe observatæ fuerunt in fæcibus.

Imputavit malum consuetudini edendi arundinem de quâ saccharum producitur; in quâ vermes dicuntur existere.

DE CONCRETIONIBUS.

Concretiones salinæ in ventriculo dicuntur variis anatomicis observatæ fuisse. Videtur ut hæ aliquando obvenire possunt sine perturbatione magnâ. Ferè omnino formantur ex salibus in bile sumentibus statum chrystallorum : hi sales faciant nucleum in quod ex depositione materiarum alimentarum vel fæculentarum attinent molem permagnam. "J'ai trouvè," dicit Portal, "dans l'estomac d'un cadavre, ouvert pour un de mes leçons d'anatomie, une concretion d'un volume et de la forme d'un œuf de pigeon ; elle contenoit dans son centre deux ou trois autres concretions qui crepitoient sur le feu ; sa substance etoit jaune et amère, veritablement bilieuse ; enfin dans quelques estomacs on a trouvé des autres concretions qui avoient la solidité et

la forme des pierres urinaires."* In Museo anatomico Academiæ hujus almæ, servantur plures concretiones ex intestinis; et in volumine præclaro Monro Professoris earum historia plenissima invenienda est.

Sub finem affectiones aliæ dicuntur modo existere in ventriculo, exempli gratiâ pustulæ variolarum, de quibus quoniam attestari minime videantur factis bene repertis, non in animo est sermonem producere.

---

* Portal Anatomie Medicale, tom. 5. p. 192.

FINIS.